

## DISSERTATIO VIII

DE PECCATO MORTALI ET VENIALI, TAM SECUN-  
DUM SE, QUAM COMPARATIVE AD INVICEM

D. Thomas, qq. 88 et 89.

## ARTICULUS I

*Utrum detur peccatum veniale ex natura sua distinctum  
a mortali?*

Peccatum mortale dicitur quod mortem animæ adfert, privando eam gratia, et est æterna pœna dignum. Peccatum veniale strictè sumptum dicitur quod non excludit a subjecto principium veniæ, quod est gratia.

Hæretici posteriorum temporum, Wicleffus, Lutherus, Melancthon, Calvinus, etc., docuerunt omnia peccata ex natura sua esse mortalia et esse ex se mortis animæ et pœnæ æternæ illativa; de facto autem non inferre prædestinatis et fidelibus, ex Dei misericordia, sicque veniale non distingui a mortali ex natura sua, sed vel ex stata a Deo lege seu misericordia, vel ex conditione personæ peccantis.

Dico: Dantur peccata venialia, non solum ex conditione peccantis aut ex Dei misericordia, sed ex natura sua a mortalibus distincta<sup>1</sup>.

*Probatur 1<sup>o</sup> ex Scriptura.* In variis Scripturæ locis, quædam peccata, sine ullo respectu ad personas, comparantur rebus levissimis, quædam gravissimis: sic *Matth.*, xxiii, 24, quædam comparantur culici, quædam camelo; *Luc.*, vi, 41, quædam festucæ, quædam trabi; *I Cor.*, iii, 12, quædam fœno et stipulæ superædificatis fundamento quod est Christus. Atqui, si omnia peccata ex se essent mor-

1. Hic q. 88, a. 1 et 2, o.

talia, quædam male compararentur istis rebus minutis, dum alia comparantur rebus gravissimis; non enim minutum et leve dici debet quod mortem animæ et gehennam æternam ex se infert. Sicut ergo nec festuca ex se excæcare potest, nec culex suffocare, nec fœnum aut palea fundamentum evertere; ita nec peccata istis rebus minutis comparata ex natura sua occidunt, et æterna morte reum constituunt.

*Probatur 2<sup>o</sup>.* Concilium Trident. eandem veritatem definivit sess. vi, cap. 11, can. 7, 23 et 25, et sess. xiv, cap. 5: lege<sup>1</sup>. Et tandem SS. Pontifices S. Pius V et Greg. XIII damnarunt hanc propositionem: « Nullum est peccatum natura sua veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam. » Est 20<sup>a</sup> inter Baïanas.

1. Sess. vi, cap. 11: « Licet enim in hac mortali vita quantumvis sancti et justi in levia saltem et quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea desinunt esse justi. » — Can. 7: « Si quis dixerit, opera omnia quæ ante justificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, vere esse peccata, vel odium Dei mereri...; anathema sit. » — Can. 23: « Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere, atque ideo eum qui labitur et peccat nunquam vere fuisse justificatum, aut contra posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de beata Virgine tenet Ecclesia; anathema sit. » — Can. 25: « Si quis in quolibet bono opere justum saltem venialiter peccare dixerit, aut, quod intolerabilius est, mortaliter, atque ideo pœnas æternas mereri, tantumque ob id non damnari, quia Deus ea opera non imputet ad damnationem; anathema sit. » — Sess. xiv, cap. 5: « Ex his colligitur, oportere a pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri, etiam si occultissima illa sint et tantum adversus duo ultima Decalogi præcepta commissa, quæ nonnunquam animam gravius sauciant et periculosiora sunt iis quæ in manifesto admittuntur; nam venialia, quibus a gratia Dei non excludimur et in quæ frequentius labimur, quamquam recte et utiliter citraque omnem præsumptionem in confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat, taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt. »



*Probatur ratione multiplici. Prima est fundata in Scriptura. Juxta Scripturam, Deus non imputat nec punit peccata aliter quam ex se mereantur, ut patet ex illo Psal. LXI, 13: Quia tu reddes unicuique juxta opera sua. Et II Cor., v, 10: Ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit. Ergo, si sint peccata quæ non punit Deus pœna æterna, eam ex se non merentur.*

*Secunda. Peccatum est quædam animi infirmitas, juxta illud Psal. vi, 3: Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum. Ergo, sicut sunt quædam infirmitates corporis ex se mortales, quædam non, ita infirmitates animæ.*

*Tertia. Inter amicos sunt offensæ leves, quæ ex natura sua, et non solum ex gratia amici, non dissolvunt amicitiam. Ergo similiter erga Deum. Equis credat hominem justum et amicum Dei, ex natura verbi otiosi, aut risus superflui, incurrere odium Dei et æternæ gehennæ reatum?*

*Quarta, specialis contra hæreticos. Adam, David et S. Petrus erant fideles et prædestinati. Atqui tamen quædam eorum peccata vere fuerunt mortalia, et ut talia reputata et imputata, scilicet esus fructus vetiti ab Adamo, adulterium in Davide, negatio Christi in S. Petro. Neque enim puto quemquam negare Adamum, Davidem et S. Petrum per hæc peccata amisisse amicitiam Dei et incurrisse reatum pœnæ æternæ, donec per pœnitentiam expiarentur. De peccato Adæ sic intelligunt Ambros., lib. de Paradiso, c. 9, et Aug., lib. XIII de Civit., c. 12. De adulterio Davidis sic censet idem Aug., in Psal. L. De peccato S. Petri similiter intelligit idem Aug., tract. 66 in Joann., n. 2, ubi de S. Petro dicit: « Mortuus est negando, et revixit plorando. » Ergo venialia non distinguuntur a mortalibus ex sola conditione peccantis.*

*Confirmatur. Dignitas personæ non minuit, sed auget peccatum, ut probat S. Thomas supra q. 73, a. 10, o, et nos ex ipso *ibidem*. Ergo peccatum non est ideo veniale, quia committitur a fideli vel prædestinato.*

## ARTICULUS II

*In quo et quomodo peccatum mortale et veniale inter se differunt?*

*Petes 1º per quid formaliter et primario peccatum mortale et veniale constituuntur et differant.*

*Resp. Peccatum mortale et veniale formaliter et primario constituuntur et differunt per hoc, quod peccatum mortale sit simpliciter contra legem, quatenus est contra finem legis, quem evertit; non sic veniale. Finis autem legis est charitas Dei et proximi, I Tim., 1, 5; eo enim collimant omnes leges, ut Deum diligamus ex toto corde, et proximum sicut nos ipsos. Seu, quod idem est, per hoc formaliter et primario differunt, quod peccatum mortale avertit a Deo ultimo fine, et constituit finem ultimum in creatura; veniale vero, servato ordine finis ultimi, facit inordinationem circa media. Ratio est quia, posita transgressionem perfecta legis, vel aversione a Deo ut ultimo fine, omnes apprehendunt peccatum mortale, et inde sequuntur exclusio gratiæ sanctificantis et charitatis, dissolutio amicitiae Dei, mors animæ de se irreparabilis, reatus pœnæ æternæ, et cætera omnia quæ tribuuntur peccato mortali et peccato veniali non conveniunt.*

*Petes 2º utrum peccatum mortale et veniale essentialiter inter se differant.*

*Resp. affirmative. Quia malitia peccati mortalis, ut constat ex dictis, consistit in habitudine improprietatis ad ultimum finem; malitia autem peccati venialis sistit in habitudine improprietatis ad media fini non absolute necessaria. Atqui hæc duæ habitudines specie differunt. Ergo.*

*Petes 3º an et quomodo mortalia a venialibus possint discerni.*

*Resp. Velle de omnibus et singulis certo definire: hoc est mortale, hoc veniale, temerarium est, cum id humanam*



superet industriam, et Augustinus, Doctorum Aquila, fateatur, lib. XXI *de Civit.*, cap. ultimo, n. 5, non obstante suo studio<sup>1</sup>, ad id non potuisse pervenire, et in *Enchirid.*, c. 78, n. 21, dicat id pensandum potius iudicio divino, quam humano. Attamen de aliquibus certo, de multis probabiliter definiri potest, pro quo a theologis communiter assignantur tres regulæ, prima ex Scriptura, secunda ex traditione, tertia ex ratione naturali.

Prima regula ex Scriptura. Peccata quæ in Scripturis dicuntur excludere a regno Dei, esse abominabilia, detestanda, execranda, morte digna, aut habent adjunctam aliquam aliam gravem maledictionem, vel quibus dicitur *væ!* sunt mortalia; quæ autem remissioribus terminis efferuntur, sunt venialia. Exempla prioris habes *Levit.*, xxiv, 15-21; *Prov.*, vi, 16-19; *Isa.*, v, toto; *Rom.*, i, 18 seqq.; *I Cor.*, vi, 9 et 10; *Galat.*, v, 19-21; *Ephes.*, v, 3 seqq., et alibi; posterioris, *Prov.*, x, 19; *Matth.*, xii, 36 et 37, et alibi.

Secunda regula ex traditione. Quæ ex communi sensu Patrum, episcoporum et doctorum habentur in Ecclesia pro mortalibus, censenda sunt mortalia; quæ pro venialibus, censenda sunt venialia: quia jure præsumitur Deum Ecclesiam suam in re tanti momenti non deserere, neque permittere ut, in animarum perniciem, errore communi decipiatur.

Tertia regula ex ratione naturali. Peccata quæ, secundum rectam rationem, graviter lædunt charitatem Dei et proximi, sunt mortalia; quæ leviter, venialia. Ad discernendum vero an graviter vel leviter lædant charitatem Dei et proximi, multa sunt consideranda: 1° natura actus, an admittat vel non levitatem materiæ, de quo art. sequenti;

1. Ibi ait S. Doctor: « Quæ sint ipsa peccata quæ ita impediunt perventionem ad regnum Dei, ut tamen sanctorum amicorum meritis impetrent indulgentiam, difficillimum est invenire, periculosissimum definire. Ego certe, usque ad hoc tempus, cum inde satagerem, ad eorum indaginem pervenire non potui. Et fortassis propterea latent, ne studium proficiendi ad omnia peccata cavenda pigrescat. »

2° gravitas vel levitas materiæ, tam ex parte objecti quam ex parte finis et circumstantiarum, in his quæ illam admittunt; 3° an peccatum sit ex genere suo mortale vel non; 4° tenor verborum legis, an severe et sub gravi pœna præcipiat; 5° quæ fuerit intentio legislatoris in hoc casu; 6° an peccatum sit commissum cum perfecta vel imperfecta deliberatione, an ex malitia, vel infirmitate aut ignorantia. Quando autem reputandus sit consensus perfecte vel imperfecte deliberatus, dicam art. seq.

### ARTICULUS III

*Utrum veniale disponat ad mortale, possitque fieri mortale, et e contra mortale fieri veniale?*

*Nota.* Peccata venialia sunt triplicis generis. 1° Quædam sunt venialia ex genere seu ex objecto, ut verbum otiosum, risus immodestus. 2° Quædam sunt venialia ex levitate materiæ, ut furtum leve. 3° Quædam sunt venialia ex imperfectione actus qui non est plene deliberatus, ut motus secundo primi circa objectum mortaliter matum.

Dico 1°: Peccatum veniale ex genere, disponit indirecte ad mortale ex genere, non directe; ad mortale autem, ex parte agentis, disponit directe<sup>1</sup>.

*Probatur* prima pars. 1° Ex illo *Eccli.*, xix, 1: *Qui spernit modica, paulatim decidet*<sup>2</sup>. 2° Dispositio indirecta est per modum removentis prohibens. Atqui peccatum veniale ex genere minuit subjectionem voluntatis sub Deo et fervorem charitatis, ponitque simul obstaculum divinis auxiliis, quibus omnibus homo continetur et præservatur a peccato mortali. Ergo.

*Probatur* secunda pars<sup>3</sup>. Dispositio directa est ad formam ejusdem speciei, aut per se ei subordinatur. Atqui peccatum veniale ex genere est diversæ speciei ad pecca-

1. Hic q. 88, a. 3, o.—2. *Ibid.*, in arg. *Sed contra*.—3. *Ibid.*, o.



tum mortale ex genere, nec ei per se subordinatur, ut patet, v. g., in verbo otioso respectu homicidii. Ergo.

*Probatur* tertia pars<sup>1</sup>. Ex frequentatis peccatis venialibus in aliquo genere, v. g., ex assuetudine ludendi, potest in tantum crescere amor ludi, ut tandem propter illum peccetur mortaliter, v. g., omittatur sacrum die festo. Ergo.

Dico 2<sup>o</sup> : Peccatum veniale ex imperfectione actus, aut ex levitate materiæ disponit directe ad mortale. Sic, v. g., parvum furtum disponit directe ad magnum furtum, consensus semiplenus in homicidium disponit directe ad illud; quia, quamvis sint diversæ speciei formalis, sunt tamen ejusdem speciei materialis, cum versentur circa idem objectum materiale.

Dico 3<sup>o</sup> : Actus remanens idem numero in esse naturæ, potest de veniali fieri mortalis. Sic consensus imperfecte deliberatus in objectum mortale, est peccatum veniale; si cum plena deliberatione physice continuetur, fit mortale<sup>2</sup>. At actus remanens idem numero in esse moris, non potest de veniali fieri mortalis; quia peccatum principaliter consistit in actu voluntatis, sicut quilibet actus moralis: unde non dicitur unus actus numero moraliter, si voluntas moraliter mutetur, etiamsi actio in esse naturæ sit continua. Atqui, dum actus qui erat antea venialis fit mortalis, voluntas moraliter mutatur; si enim non mutaretur, non fieret de veniali mortalis. Ergo.

*Confirmatur.* Quod est inferioris ordinis, quantumvis augeatur intra suum ordinem, non potest attingere ad id quod est superioris ordinis: sic, quantumvis perficiatur argentum in suo ordine, non potest attingere gradum auri. Atqui actus venialis est inferioris ordinis in esse moris ad peccatum mortale; istud enim est aversivum ab ultimo fine, non illud. Ergo idem numero manens in esse moris, non potest fieri mortale.

Dico 4<sup>o</sup> : Peccatum quod esset ex genere suo veniale, potest multipliciter fieri mortale ex parte agentis et circumstantiarum :

1. Ibid. — 2. Hic a. 4, o; q. 7 de *Malo*, a. 3, o, et alibi.

1<sup>o</sup> Ratione finis mortalis : ut si quis dicat mendacium officiosum ex intentione fornicandi. Quia tamen illud mendacium suam malitiam mortalem haurit ab intentione mortifera, sufficit illam, vel fornicationem, si secuta fuerit, accusare, dicendo : « Habui intentionem fornicandi, » vel : « Fornicatus sum. »

2<sup>o</sup> Ratione conscientiae erroneæ : ut si ad quod facis existimes esse mortale, cum sit veniale.

3<sup>o</sup> Ratione gravis detrimenti sive spiritualis (quod est scandalum), sive temporalis, quod prævidetur aut facile potest prævideri secuturum.

4<sup>o</sup> Ratione periculi proximi peccandi moraliter.

5<sup>o</sup> Si constituatur finis ultimus in peccato veniali; quod fit quando peccans peccato ex se veniali, est actualiter animo dispositus transgredi præceptum obligans sub mortali, potiusquam abstinere a peccato suo veniali.

6<sup>o</sup> Ratione contemptus formalis. Duplex est contemptus formalis : unus perfectus, quando quis renuit in toto subjici superiori. Quodvis autem peccatum, etiam in re levi, ex tali contemptu est mortale; quia contemnere totam superioritatem est quid grave : Alter est imperfectus, quando quis renuit subjici superiori in aliqua re tantum, sive gravi sive levi, paratus ipsi obedire in aliis, et talis contemptus in re gravi est mortalis, in re levi venialis; nisi forte contemptus esset de Deo aut ejus præcepto, quia tunc esset blasphemus. Ita distinguunt Cajetanus et Sylvius.

[*Petes* an mortaliter peccaret qui propositum haberet committendi omnia peccata venialia.

*Resp.* Affirmant Sanchez et alii, hac ratione quod, ut docet S. Thomas, venialia de se disponunt ad mortale. Probabilius vero negatur cum Salmanticensibus et S. Ligorio, secluso contemptu vel periculo proximo labendi in mortale, habito respectu ad præteritam experientiam. Ratio est quia tale propositum remote tantum ducit ad mortale.]



Dico 5<sup>o</sup> : Quantumvis multiplicentur peccata venialia, nunquam possunt efficere unum peccatum mortale, nec illi æquivalere<sup>1</sup>. Est communis contra glossam in cap. *Tres sunt*, de Pœnit., dist. 1, quæ autoritate pontificia deleta est tamquam erronea.

Ratio est, quia quantumvis multiplicentur peccata venialia, non possunt avertere ab ultimo fine; non enim primum avertit, non etiam secundum, quod est ejusdem rationis, et sic de sequentibus. Neque possunt inferre reatum pœnæ æternæ, quæ in infinitum distat a pœna temporali, quam demeretur peccatum veniale.

*Confirmatur.* Ecclesia docet, necessario esse confitenda omnia mortalia, non venialia, etiamsi multiplicata: alioquin, cum nescitur quousque debeant esse multiplicata ut efficiant unum mortale, statim ac quis plura commisisset, teneretur in dubio confiteri; quod est falsum et contra praxim Ecclesiæ.

Dico 6<sup>o</sup> : Peccatum quod ex se esset mortale, potest fieri veniale ex duplici capite<sup>2</sup>: 1<sup>o</sup> ex imperfectione actus, qui non sit plene deliberatus; 2<sup>o</sup> ex levitate materiæ.

Ratio primæ partis est, quia ad peccatum mortale, quo homo avertitur a Deo et incurrit reatum pœnæ æternæ, non minus requiritur actus perfecte voluntarius et liber, quam sit actus meritorius vitæ æternæ. Talis autem non est sine perfecta deliberatione ex parte intellectus, et sine pleno consensu ex parte voluntatis.

Ratio secundæ partis est, quia leges regulariter obligant juxta conditionem materiæ, graviter ubi materia est gravis, leviter ubi est levis. Consequenter transgressio in re levi est levis offensio.

*Specialiter observanda pro praxi.*

*Petes* 1<sup>o</sup> quid sit perfecta, quid imperfecta deliberatio.

*Resp.* Perfecta deliberatio est, quando intellectus sine

1. Lib. V, de Præceptis partic., n. 12. — 2. Hic a. 6, o.

turbatione aut impedimento plene et distincte apprehendit et advertit, seu advertere potest et debet actum et ejus malitiam. Hanc perfectam deliberationem ex parte intellectus sequitur, ex parte voluntatis, consensus plenus, si detur. Dico : *Si detur*, quia intellectu perfecte deliberante et advertente actum malum, non raro voluntas denegat consensum : quod regulariter contingit in viris timoratis.

Imperfecta deliberatio est quando quis semidormiens aut semiebrius, aut quasi semidormiens, variis cogitationibus distractus, vel vehementi passione impetitus, non plene et distincte, sed in confuso tantum apprehendit aut apprehendere potest actum malum et illum vitandi obligationem. Et tunc consensus voluntatis sequens est necessario imperfectus et semiplenus.

Signa imperfecti consensus sunt : 1<sup>o</sup> Si, ut jam dictum est, sequatur ex imperfecta deliberatione. 2<sup>o</sup> Si quis, plene advertens tentationem, statim eam repellit, aut sit ita animo dispositus, ut, si facile posset peccatum exsequi, nollet, aut potius mallet mori, quam Deum lethaliter offendere, probabilius est ipsum plene non consensisse; quia affectus plenus et firmus non facile mutatur, et dum mutatur, facile advertitur. 3<sup>o</sup> Qui est timoratæ conscientiæ, et solet resistere tentationi, dum eam perfecte advertit, potest in dubio prudenter existimare se non plene consensisse. Secus, si sit liberioris conscientiæ, et soleat consentire, quia ex communiter accidentibus prudens est judicium. 4<sup>o</sup> Qui dubitat an in somno vel vigilia motus inordinatos passus fuerit, potest existimare se non plene et deliberate consensisse; quia, si fuisset plena deliberatio, ipse sciret se fuisse perfecte a somno excitatum. 5<sup>o</sup> Diurnitas tentationis non est sufficiens argumentum perfecti, imo nec imperfecti consensus; potest enim diu durare tentatio, repugnante voluntate.

*Petes* 2<sup>o</sup> in quibus peccatis detur vel non detur levitas materiæ excusans a mortali.

*Resp.* Non datur levitas materiæ excusans a mortali in peccatis in quibus, non obstante levitate apparente materiæ, reperitur integra irreverentia divini Majestatis et



gravis læsio charitatis Dei et proximi; quia gravitas peccati desumitur ex gravitate irreverentiæ divinæ Majestatis, aut læsionis charitatis. Ergo, ubi reperitur gravis sive irreverentia sive læsio charitatis in parva sicut in magna quantitate materiæ, remanet gravitas peccati.

In iis autem peccatis in quibus ex diminutione materiæ minuitur gravitas irreverentiæ in Deum aut læsionis charitatis, datur levitas materiæ excusans a mortali; quia potest ita minui et decrescere materia, ut non sufficiat nisi ad levem irreverentiam seu levem læsionem charitatis.

Hinc *inferes* 1º non dari parvitatem materiæ excusantem a mortali in peccatis quæ committuntur directe contra Deum, ut sunt omnia peccata contra virtutes theologicas; quia, etsi in re levissima fidem Deo deneges, vel de eo desperes, vel eum odio aut contemptui habeas, aut formaliter blasphemes, graviter ejus veritatem, potentiam, bonitatem, majestatem offendis.

*Inferes* 2º. In peccatis quæ sunt contra Religionem, quandoque dari, quandoque non dari parvitatem materiæ excusantem a mortali. Non datur in superstitione cultus falsi numinis, ut sunt idololatria, divinatio et vana observantia. Idem dic de magia et maleficio; quia vel in re minima colere falsum numen, aut habere societatem, sive explicite, sive implicite cum diabolo, est gravissima injuria vero numini illata.

Potest tamen dari in divinatione et vana observantia levitas, non materiæ, sed actus, excusans a mortali: ut si quis tentet divinationem sine expressa dæmonis invocatione, ex joco vel levitate, non credens eam utilem, sed prorsus vanam et inutilem, aut nesciens ibi esse aliquam dæmonis invocationem, non peccat mortaliter. Idem esto judicium, si ex somnio, augurio et similibus aliquem timorem de futuris concipiat, sed tamen non habeat fidem, aut si semel et iterum faciat seu omittat aliquid sibi liberum ex tali timore, non tamen vitam et actiones suas ad talium divinationum normam dirigat. Idem dic de vana observantia sanitatum aut eventuum: ut si quis

ex simplicitate vel ignorantia non crassa, aut ex nimia timiditate, recedat a mensa, quia ibi tredecim assident, timens inde alicujus mortem; vel si eo quod mane domo egrediens offendat pedem, aut lepus ipsi occurrat, timet infaustum iter, et ideo domum repetit; vel si sibi certo et infallibiliter promittit bonam mortem, si talem sanctum colat, si talem orationem quotidie recitet.

In superstitione autem cultus indebiti, præsertim superflui, veri numinis, videtur posse dari levitatem materiæ excusantem a mortali: ut si quis oret ante solis occasum, vel eum certo numero, situ, colore candelarum, vel velit audire sacrum a sacerdote qui vocetur Joannes, vel repetat *Alleluia*, aut faciat cruces plusquam sit ordinatum ab Ecclesia, vel absteat a certo opere servili, putandi, diebus sabbatis, in honorem B. Virginis, dum aliis operibus servilibus indulget. In his enim et similibus, secluso contemptu et scandalo, non videtur gravis injuria.

In simonia non datur parvitas materiæ excusans a mortali; quia, quantumvis res sit in parvo gradu spiritualitatis, semper est magna injuria eam terreno pretio æstimare, et quo minus pretium pro re spirituali datur, eo minus videtur æstimari. Neque datur in juramento assertorio; quia est semper gravis irreverentia et injuria, velle Deum esse testem falsi, quasi posset falli aut fallere, etiam in re minima. Secus, juxta sententiam nobis probabiliorem, de juramento promissorio, in quo Deus non invocatur testis veritatis aut falsitatis, sed assumitur quasi sponsor obligationis jurantis, quæ obligatio non consistit in indivisibili, sed est major vel minor, juxta rationem materiæ majoris vel minoris momenti, de quo late dixi in tract. *de Religione*, dissert. V, a. 6, § 1.

Item datur levitas materiæ in voto, sive sit materia totalis, sive pars materiæ totalis voti, de quo etiam vide ibid., dissert. IV, a. 3, concl. 3. In sacrilegio quod fit ex directa intentione inhonorandi res sacras, non datur levitas materiæ, propter contemptum formalem rei sacræ, qui reducitur in Deum. Factum autem ob alium finem, admittit



levitatem materiæ excusantem a mortali : sic furtum leve in loco sacro est peccatum veniale.

*Inferes* 3<sup>o</sup> dari levitatem materiæ excusantem a mortali in peccatis quæ sunt contra præcepta secundæ tabulæ, seu quæ sunt contra proximum et seipsum et contra præcepta ecclesiastica, ut in furto, verberatione, læsione, detractatione, contumelia, maledictione, ira, vindicta, avaritia, ambitione, gula, jejunio ecclesiastico, etc.; quia in his quo minor est materia, eo minor est injuria sibi aut proximo facta.

*Petes* 3<sup>o</sup> unde æstimanda est gravitas vel levitas materiæ in iis peccatis quæ illam admittunt.

*Resp.* esse æstimandam ex hoc quod, secundum judicium prudentum et doctorum, graviter vel leviter conducat ad finem gravem legis, ita ut illa materia sit gravis, quæ graviter conducit ad finem legis; levis, quæ leviter, sive sit tertia, sive quarta pars, sive vigesima, sive centesima pars totius. Dixi, *secundum judicium prudentum et doctorum*, quia ab ipso maxime pendet discernere quæ materia graviter aut leviter conducat ad finem legis.

*Notandum* tamen, circa tempus quo incipit aut desinit obligare lex, v. g., jejunii, non dari levitatem materiæ: ita ut, si immediate post auditam duodecimam horam nocturnam diei veneris, aut immediate ante duodecimam dominicæ, manduces carnes, sit materia gravis et peccatum mortale; quia istud præceptum negativum obligat tota die jejunii, semper et pro semper, excludendo omnem partem istius diei a comestione carniæ. Idem videtur dicendum de tempore a jure requisito ad suscipiendos sacros Ordines, professionem emittendam, matrimonium ineundum, etc. Neque obstat quod communiter dicitur: « Quod parum distat, nihil distare videtur; » hoc enim axioma non valet in rebus taxatis a jure, quæ consistunt in indivisibili, et ita sensus communis apprehendit.

## ARTICULUS IV

*Quis sit finis ultimus tam peccantis mortaliter quam venialiter?*

Dico 1<sup>o</sup>: Creatura est finis ultimus peccantis mortaliter<sup>1</sup>, juxta illud Apost., *Philip.*, III, 19, de gulosis: *Quorum Deus venter est.*

*Probatur* 1<sup>o</sup> ex Aug., qui pluribus in locis totam perversitatem vitæ humanæ collocat in eo quod fruatur utendis et utatur fruendis<sup>2</sup>; frui autem, secundum eundem Aug., lib. XI de *Civit.*, c. 25, et alibi, est alicui tamquam fini ultimo adherere. Atqui qui peccat mortaliter, fruatur utendis; non enim utitur illis propter Deum, cum propter illa Deum deserat. Ergo.

*Probatur* 2<sup>o</sup> ratione. Quod homo perverse amat peccando mortaliter, non amat illud ut medium, aut ut finem intermedium Deo subordinatum, alioquin non peccaret; et insuper patet quia, juxta Scripturam, *Isa.*, I, 2, peccando mortaliter *spernit*<sup>3</sup> Deum, et *I Reg.*, XII, 10, *derelinquit*<sup>4</sup> Deum. Ergo amat illud ut finem ultimum, vel ut medium aut finem intermedium alteri creaturæ subordinatum, et illa altera creatura erit illi finis ultimus.

Sed restat quæstio: quæ creatura sit ultimus finis peccantis mortaliter. Pro quo

Dico 2<sup>o</sup>: Finis ultimus peccantis mortaliter est ejus bo-

1. Hic q. 88, a. 1, ad 4, et q. 89, a. 1, ad 3. — 2. « Utimur ea re quam referimus ad id unde voluptas capienda est. Omnis itaque humana perversio est, quod etiam vitium vocatur, fruendis uti velle, atque utendis frui. Et rursus omnis ordinatio, quæ virtus etiam nominatur, fruendis frui et utendis uti. Fruendum est autem honestis, utendum vero utilibus. » *De div. quest.* LXXXIII, q. 30. — 3. *Audite cæli et auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est. Filios enutrivit et exaltavi, ipsi autem spreverunt me.* — 4. *Clamaverunt ad Dominum et dixerunt: Peccavimus, quia dereliquimus Dominum et servivimus Baalim et Astaroth.*



num proprium et privatum, non secundum se, sed inordinate amatum usque ad contemptum Dei et exclusionem gratiæ et charitatis.

*Probatur prima pars.* Illud est finis ultimus peccantis mortaliter, quod propter se amat et sub ratione cujus cætera amat. Atqui peccans mortaliter, amat proprium et privatum bonum propter se, et cætera bona particularia quæ prosequitur amat ratione proprii et privati boni. Ergo. — Major est definitio finis ultimi. — Prob. min. In omni peccato mortali peccans amat bonum commutabile, quia in eo reperit, vel apprehendit, vel imaginatur aliquam sibi convenientiam et commodum. Vel enim apprehendit istud bonum sibi deservire, et sic apprehendit ut sibi bonum; vel apprehendit se debere servire illi bono, sicut idololatræ colebant idola pro diis, et sic apprehendit illud servire ut sibi conveniens et commodum, sicut amicus apprehendit servire amico ut sibi conveniens et bonum. Ergo quæcumque bona particularia prosequitur peccans mortaliter, illa amat sub ratione boni proprii et privati.

*Probatur secunda pars.* Finis ultimus peccantis mortaliter est oppositus Deo et irreferibilis in ipsum. Atqui bonum proprium et privatum secundum se non est oppositum Deo et irreferibile in ipsum, sed tantum ab hoc præscindit; ut autem inordinate amatum usque ad contemptum Dei et exclusionem gratiæ, est oppositum Deo et irreferibile in ipsum. Ergo.

Ex quo inferes, non omne quod facit peccator esse peccatum mortale, quin imo quandoque esse bonum moraliter, ut colere parentes, solvere debita<sup>1</sup>, etc. Licet enim hæc in peccatore actu explicite non referantur in Deum, non sunt tamen ex se irreferibilia, quin etiam virtualiter implicite referuntur, ut dicam alibi. Hinc etiam habes solutionem objectionum quæ fieri possunt.

1. Hoc concludit contra 25<sup>am</sup> propositionem Baianam damnatam : « Omnia opera infidelium sunt peccata, et philosophorum virtutes sunt vitia. »

Dico 3<sup>o</sup> : Finis ultimus peccantis venialiter, sive peccatoris sive justi, est beatitudo ut sic, seu esse bene et beate. Sic enim habetur finis ultimus positive, et facile concipitur quomodo non excludat charitatem; quia iste communissimus finis, cum sit necessario amatus et de se indifferens ut applicetur objecto bono vel malo, nullam ex se tribuit actui honestatem vel malitiam, sed ab utraque abstrahit. Consule dissert. I *de Ultimo fine*, a. 4 et 5.

Hinc intelliges quo sensu S. Thomas multis in locis dicit peccatum veniale referri habitualiter in Deum. Nihil enim aliud vult S. Doctor, quam quod peccatum veniale in justo compatiatur charitatem, eamque non excludat; quia relatio habitualis, ut dixi dissert. I *de Ultimo fine*, a. 5, dicit puram concomitantiam alicujus habitus cum actu, absque ullo influxu sive actuali sive virtuali. Unde, sicut si justus dormiens recitaret preces, diceretur illas referre habitualiter in Deum, propter concomitantiam habitus charitatis; ita, dum peccat venialiter, dicitur peccatum suum referre habitualiter in Deum, propter concomitantem charitatem quam non expellit.

## ARTICULUS V

*Utrum peccatum mortale in ratione offensæ sit gravitatis simpliciter infinitæ?*

*Nota 1<sup>o</sup>.* Peccatum est malum Dei, non quidem physice damnificativum, nihil enim reale aufert a Deo, sed inhonorativum et offensivum per modum contemptus, non solum ratione inobedientiæ, sed maxime ratione læsionis juris stricti quod habet ut sit finis ultimus omnium actionum humanarum, sicut est earum primum principium, a quo ultimo fine avertitur peccans mortaliter, ipsum constituens in creatura, ut articulo superiori dictum est. Hæc vero injuria consistit in aliqua moralitate et denominatione qua persona dicitur læsa et offensa, non effective et entitative, sed moraliter et secundum æstimationem rectam.



*Nota 2<sup>o</sup>.* Hæc inhonoratio seu offensa potest considerari dupliciter: ex parte actus seu ejus objecti et circumstantiarum, et ex parte subjecti, scilicet Dei quem afficit et in quo moraliter subjectatur; sicut enim, ut communiter dicitur, honor est in honorante, ita offensa est in offenso.

Dico: Probabilius est, peccatum mortale, in ratione offensæ consideratæ ex parte Dei, quem afficit, esse gravitatis simpliciter infinitæ.

*Probat*ur 1<sup>o</sup> ex D. Thoma, 3<sup>a</sup> parte, q. 1, a. 2, ad 2: « Peccatum, inquit, contra Deum commissum quamdam infinitatem habet ex infinitate divinæ majestatis; tanto enim offensa est gravior, quanto major est ille in quem delinquitur. Unde oportuit, ad condignam satisfactionem, ut actus satisfaciens haberet efficaciam infinitam, utpote Dei et hominis existens. »

Nec te moveat quod dixerit, « quamdam infinitatem. » Ita enim dixit, quia non est infinita omnibus modis, neque ex parte actus, neque in genere physico, sed morali tantum; non autem quia non est infinita absolute et sine diminutione. Patet quia alias male inde inferret necessitatem satisfactionis infinitæ.

*Probat*ur 2<sup>o</sup> ratione desumpta ex principio posito S. Doctoris. Gravitas offensæ crescit juxta dignitatem personæ cui irrogatur: sic major est injuria irrogata duci, quam militi; major irrogata regi, quam duci. Et ratio est, quia offensa moraliter est in offenso, sicut honor est in honorante, ut fert commune adagium, et revera offensus est patiens injuriam, patiens autem est subjectum recipiens; unde, sicut crescit honor secundum dignitatem personæ honorantis, sic crescit offensa secundum dignitatem personæ offensæ. Atqui dignitas personæ offensæ, scilicet Dei, est infinita simpliciter. Ergo.

Neque dicas offensam crescere secundum dignitatem personæ offensæ, non arithmetice et secundum æqualitatem, sed geometrice et secundum proportionem tantum: ex quo solum sequitur, offensam Dei esse superioris or-

dinis ad offensam creaturarum. — *Contra* est enim quod idem Deus confert offensæ contra ipsum commissæ, quod sit superioris ordinis. Atqui, non solum est superioris ordinis, sed et infinitus. Ergo etiam confert offensæ contra ipsum commissæ quod sit infinita; non est enim minus potens conferre infinitatem, quam superioritatem ordinis.

Si *reponas*, impediri ne communicet infinitatem, ex limitatione conatus peccantis, — *resp.* hanc limitationem esse in genere physico, et infinitatem offensæ in genere morali. Hæc autem limitatio physica non impedit infinitatem moralem; sicut, licet actiones Christi theandricæ essent physice finitæ, ratione tamen suppositi divini erant infinitæ moraliter et in esse valoris. — *Confirmatur.* Conatus peccantis non solum est finitus, sed etiam inferioris ordinis ad Deum offensum. Atqui, non obstante hac inferioritate, Deus communicat illi gravitatem superioris ordinis, ut dicunt adversarii. Ergo, licet sit finitus, potest illi communicare infinitatem.

## ARTICULUS VI

*Utrum homo in primo instanti morali usus rationis teneatur se convertere ad Deum, possitque esse peccatum veniale cum solo originali?*

Quæstio est de perfecto usu rationis, qui sufficiat ad deliberandum de rebus gravissimis, ad quem puer pervenit paulatim et successive, alii citius, alii tardius.

Duplex distinguitur conversio ad Deum: una explicita et formalis ad Deum distincte et explicite cognitum, sive per fidem, sive per lumen naturale; altera virtualis et implicita, qua quis proponit vivere secundum rationem, aut amat bonum honestum, in quo Deus, ut hujus boni author et finis, implicite continetur. Instans quo puer qui pervenit ad perfectum usum rationis, deliberat de ultimo fine sibi præfigendo, non est physicum, sed morale, plura instantia physica complectens; quia tamen id sit brevissimo tempore, dicitur instans.



Dico : Homo in primo instanti morali usus perfecti rationis tenetur sub mortali se convertere ad Deum, vel explicite, eo modo quo potest et eum cognoscit, seu, ut dicit Author, secundum quod in illa ætate est capax discretionis<sup>1</sup>. Ita omnes Thomistæ, quibus subscribunt plures extranei.

*Probatur 1º.* Id quod primum occurrit homini ad usum perfectum rationis pervenienti, est cogitare et deliberare de seipso, ad quem scilicet finem se suasque actiones sit ordinaturus. Ergo tenetur tunc sibi constituere Deum pro fine, si illum explicite cognoscat, aut bonum suæ naturæ conveniens, nempe bonum honestum et rationi consonum, in quo Deus implicite continetur. — Prob. ant. Homo est finis cui omnium concupiscibilem, ipse autem homo est medium respectu Dei, qui est illius finis. Atqui finis est prior in intentione. Ergo quod primo occurrit homini pervenienti ad perfectum usum rationis, est cogitare et deliberare de seipso, ad quem finem se et suas actiones sit ordinaturus.

*Confirmatur.* Pervenire ad usum perfectum rationis, est discernere inter bonum et malum morale, sicque pro eo instanti intimatur per synderesim lex naturalis dictans bonum honestum esse faciendum et malum fugiendum. Ergo tenetur tunc homo illam legem acceptare et ei se subicere, proponendo agere secundum illam; sicut, dum lex evangelica est alicui sufficienter promulgata, tenetur statim eam acceptare, seque illi subicere, proponendo vivere et agere secundum illam. Ergo.

*Probatur 2º.* Est præceptum naturale se convertendi ad Deum et ipsum super omnia diligendi, quod cum sit affirmativum, non obligat pro semper, sed determinato tempore. Atqui nullum est tempus magis conveniens et in quo magis obliget, quam primum instans morale usus rationis. Ergo. — Prob. min. multipliciter: 1º Ex ratione

1. Hic q. 89, a. 6, o; in II *Sentent.*, dist. 42, a. 5, ad 7; q. 5 de *Malo*, a. 2, ad 8, et alibi.

jam facta, quod primum quod occurrit homini in hoc instanti, sit deliberare de seipso in ordine ad finem. 2º Dum homo primum pervenit ad usum rationis, mundum tamquam agens morale ingreditur, et viam vitæ rationis incipit. Ergo tunc maxime tenetur sibi præfigere finem legitimum, nempe Deum, vel bonum honestum, ad quem omnes suas actiones dirigat: alioquin exponitur continuo periculo deviandi et perdendi salutem; sicut qui prudenter inchoat magnum iter, debet sibi præfigere terminum in quem tendat. 3º Quia alia tempora assignata a theologis ad impletionem hujus præcepti, non ita sunt convenientia.

Dico 2º: Probabile est peccatum veniale non posse esse in aliquo cum solo originali<sup>1</sup>.

*Probatur.* Si posset in homine reperiri veniale cum solo originali, id contingeret vel ante primum instans rationis, vel in ipso instanti, vel immediate post. Non ante primum instans rationis, quia tunc homo caret usu rationis et libertate, sicque est incapax peccati venialis; non in ipso instanti usus rationis, quia vel convertitur ad Deum, et justificatur a peccato originali, vel non convertitur, et sic peccat mortaliter, ut dictum est; consequenter nec immediate post primum instans potest esse veniale cum solo originali.

1. Ibid.